

politiorum literarum in Patavino Lyceo professor insignis. Cum eodem tempore decessisset Zacharias Barbarus, cuius ante meminimus, Sabellico injunctum est funebris orationis munus, in qua prudentiam dexteritatemque suam eximiam declaravit: cum enim Zacharias Hermolai pater esset, qui quo tempore orator apud Innocentium VIII. erat, ab hoc patriarchatum Aquilejeniem ultra oblatum acceperat, quo facto graviter apud Rempublicam suam offenderat: orator in re difficillima ita se gessit, ut animos, sine ullius offensione, immo cum magna omnium laude moverit. Tanti viri funeri affuisse civium ordines universos una cum ipso Principe Barbadico, Senatuque toto, narrat Sabellicus (^(a)) Mario filio, qui Ferrariae tum educabatur apud Antonium Bonfinium, virum cui cum caetera, tum praecipue rerum *Ungaricarum Decades plurimum laudis apud homines doctos compararunt.* Quod proxime es oraturus, cupio & opto non minus tibi foeliciter, quam nobis evenire: qui his paucis diebus in funere Zachariae Barbari, *viri clarissimi, tanta civium frequentia diximus, ut ad QUINA MILIA hominum, plurimum judicio, affuisse credantur: & quod multorum milium instar habuit, AFFUIT BARBADICUS PRINCEPS cum SENATU & TOTO ORDINE PATRICIO.*

Aliam quoque funebrem orationem habuit Sabellicus coram Duce & Senatu de laudibus Benedicti Rugii, qui tum apud Rempublicam pro Alphonso II. Aragonio, utriusque Siciliae Rege, orator esset, diem suum obierat anno M. CCCC. LXXXV. atque inter Sabellici orationes jam editas haec septima est. Utramque etiam est legere inter illustrum *virorum orationes*, curante Veneta Academia, emissas e Pauli Manutii praeolo, quo impressore Academia eadem utebatur, anno M. D. LVIII: in 4. atque iterum Parisiis apud Petrum Cavellat, M. D. LXXVII. in 16. & alibi.

Reversus interim ad emendandorum veterum auctorum, qui Venetiis praelis tum subjiciebantur, institutum, ante alios prae manibus *Livium, Justinum, & Florum* sumpxit. Haud contemnenda est *Liviana* editio, quae Venetiis facta est in folio, per Philippum Pincium Mantuanum, anno ab incarnatione Domini M. CCCC. LXXXV. III. nonas novembbris, imperante Sereniss. Augustino Barbadico Duce foelicissimo. Has curas nuncupavit *Magnifico & praestantissimo viro* Benedicto Cornario, *Patritio Vento*, e cuius bibliotheca satis emendatum codicem habuerat. Sequuntur *Decades Livianas brevissimae in Livium annotationes*, locis suo ordine, aut in integrum restitutis, aut in fronte ne quid temere offendetur brevissime relatis. Hacce *Annotationes* una cum aliis aliorum doctorum hominum habet *Liviana* editio Lugdunensis per Jo. Frellonium M. D. LIII. & alibi: *Justinum Florumque* a Sabellico emendatos protulit in lucem ad hunc annum in folio Bernardinus Rasinius, Novocomensis: obtulit utrumque auctor Joanni-Matthaeo Contareno, qui ipse quoque Senator in nostra Republica probatissimus habebatur. Impressoris nomen non legitur ad operis totius finem, at sub finem epistolae nuncupatoriae ad Contarenum eumdem: *Nec Bernardinus Rasinius Novocomensis, homo in hoc librario opificio supra quam dici possit accuratus & diligens, gerenda rei defuit.*

Curas etiam suas Horatio Flacco impedit: sed quando hae primum in lucem prodierint, nondum mihi est compertum: certe ipsae inseruntur

^(a) Epist. lib.
11.

1495